

Georg Mejer Joachim Rachel


## **Disputationum Physicarum Vicesima. De Fossilibus Et Plantis**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736911>

Druck Freier  Zugang







57

R. U. phil. 1609. 10.


12 gfl.

35 1717











*Disputationum Physicarum*  
VICESIMA.  
DE  
FOSSILIBUS  
ET PLANTIS.

*Quam*  
Divina adspirante gratia

In Inclita Academia Rostochienfi


SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI  
*Duderstadensis Saxonis.*

Tuebitur

JOACHIMUS RACHELIUS  
Gustroviensis Megapol.

Ad diem 25. Julij horis 6. loco consuetis.



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.





*Spectatissimis, generis claritate, ac singulari  
eruditionis ac virtutis laude prestan-  
tissimis viris,*

DN. CHRISTIANO CLAN-  
DRIANO,

DN. JOACHIMO KOCHIO,

DN. NICOLAO DOBBIN,  
Patritijs Rostochiensibus.

*Dominis fautoribus, ac promotoribus o-  
mnitempore plurimi faciendis,*

*Hanc de Fossilibus atq; Plantis  
σοφιστικῶν φυσικῶν in infallibile amicitia  
contestanda πικρῆρον, & debita  
observantia συμῶν*

*offert & consecrat*

Ioachimus Rachelius  
Respondens.



# DE FOSSILIBUS ET PLANTIS.

## Theorema I.

Fossilium quatuor sunt species: Metalla,  
lapides, terræ pretiosæ, & succi concreti.



*E* corporibus imperfectè mixtis hætenus differui-  
mus, sequuntur perfectè mixta, quæ sunt vel  
inanimata, vel animata. De inanimatis prius  
agendum est.

II. Primò autem occurrunt fossilia, sic dicta  
quod ex terra visceribus effodiantur. Terra igitur  
fossilium omnium subjectum est, quandoquidem & locum ge-  
nerationi eorundem idoneum, & materiam sæcundo satis proventu  
largitur. Quid ergo vetat paulisper in terræ profundissima abire,  
ubi non minus dives natura, quam in superficie terra animadver-  
titur? Agite, eò descendamus, quò ipsa natura divinißima, suorum  
operum non pauca reliquerit vestigia: Inveniemus metalla specio-  
sissima, lapides splendidissimos, terras succosq; pretiosos & insignes.

## Theorema II.

Metallum est corpus fossile ex halitu a-  
queo cum terreo permixto in terræ venis ge-  
nitum, quod malleo diduci, & igne liquefieri  
potest.

I. Causa efficiens metallorum partim est vis & efficacia astro-



rum; partim calor subterraneus, qui materiam attenuat, coquit, & temperat; partim frigus quod materia dat & largitur consistentiam: Materia enim quæ calore concocta antea erat, frigore postmodum densata in metallum concrevit.

II. Materiam metallorum Chymici constituunt sulphur & argentum vivum. Aristoteles halitum aqueum & terreum, cujus sententiam & nos amplectimur, quia metalla calore ignis soluta fluunt, frigore vero aëris vel aquæ rursum durantur. Atq; terrei halitus tanta quidem portio in mixtura inest, quanta aquei perspicuitatem obscurat. Et mixtura illa quò purior fuerit, eò pretiosius metallum ex illa efficitur. Huic nostra sententia suffragatur Scalig. Est namq; inqueiens metallum aquea terra multo frigore congelata, quæ propterea non nisi multo calore potest in pristinum restitui diuorem. Solum ex metallis argentum vivum aqua terrea est, non congelata. exerc. 20.

III. Chymici vero pro sua sententia obtinenda has proferunt rationes. 1. Quia metalla si resolvuntur, emittunt odorem sulphureum: Jam vero si non ex sulphure constarent, neq; ejus odorem emittere possent. 2. Quia post nimiam resolutionem abeunt tandem in sulphur & argentum vivum: In quod quid autem resolvitur, ex eodem constat. 3. Quia amicissima est inter argentum vivum & metallum conspiratio: Non secus enim illud hoc amplectitur, ac parens sobolem. Igitur metallum soboles sit argenti vivi necessum est. 4. Quia arte metallum, aurum nempe ex sulphure & argento vivo effici potest. In producendis autem natura operibus ars naturam imitatur.

IV. Hæc sunt Chymicorum argumenta, quibus si ignis veritatis supponatur, in fumum cuncta abeant necessum est. Nam ut ad primum respondeamus, nondum constat omnia metalla sulphureum in resolutione odorem emittere. Deinde argumentum ab odore desumptum, esse infirmisimum quis non intelligit, cum non omnis odor respondeat materia à qua proficiscitur, præsertim si in igne conjici-



conijciatur, pro cuius visionis variatione, et ipse rei odor varius esse  
 solet? Porro non tantum metalla, sed & lapides. & alia plura ferven-  
 tissimo igni resoluta fatidum & sulphureum odorem emittunt, qua  
 tamen propterea ex sulphure constare nemo sanus affirmabit. Ad  
 secundum, similiter nondum probatum esse, metalla resolvi in ar-  
 gentum vivum & sulphur. Quis enim experimentis id ipsum di-  
 dicit? Mirum profectò oportet esse artificem, qui ferrum in argen-  
 tum vivum scit resolvere. At putaram ego quadam metalla ob  
 perfectissimam concoctionem non posse destrui & resolvi: Tantum  
 abest, ut aurum igni destruat, ut potius eodem perficiatur. Sed  
 ajunt Chymici se sapius maximo damno expertos esse, aurum reso-  
 lutum in fimum sulphureum abijisse. Quod si de auro suo falso &  
 fucato pro vero quod venditant intellectum velint, me non usq; a-  
 deò habebunt repugnantem, fimum enim & auri umbram illud  
 esse, multis egregie quod imponit, lubens largior. Ad tertium di-  
 cimus pari ratione concludi posse ferrum constare è Magnete, quia  
 amicissima inter duo hac corpora est conspiratio, & nunquam  
 tam amplecti potest argentum vivum metalla, quam Magnes fer-  
 rum. Præterea itidem dubium est, an etiam ita naturali desiderio  
 & consensione metalla argentum vivum appetat & amplectatur  
 quemadmodum ajunt, ut constet argumenta hac perexigui esse  
 momenti. Sanè si Scaligero viro multarum rerum experientissimo  
 fidem habeamus, erit argentum vivum metallis inimicum, haud  
 amicum. Argentum vivum metallorum tyrannus est. Ty-  
 rannus quia cætera omnia absorbit, inquit exer. 88. sect. 1.  
 Quartum & postremum infra theor. 5. diluetur, ubi ex professo  
 de illa maxime famosa questione, utrum scilicet verum aurum ar-  
 te Chymicâ effici possit, agitur.

V. Forma omnium metallorum non est una specifica & ulti-  
 ma, ut iidem fert opinio Chymicorum, sed diversa. 1. Quia diffe-  
 runt definitione essentiali. Essentiali autem definitione quæ  
 differunt, formâ specificâ convenire non possunt. 2. Quia diffe-



differunt proprijs qualitibus ac operationibus. Metalla enim alia vim habent corroborandi cor & spiritus vitales, ut aurum: alia refrigerandi, ut argentum & plumbum, alia calefaciendi, ut ferrum & as. Ubi autem propriae qualitates aliae, ibi alia quoque forma, à qua proveniunt. 3. Quia natura propter fines & usus diversos, diversas metallorum species generat.

*VI.* Sed obijcitur. 1. Quod aurum dicatur metallum perfectissimum, non quod formam essentiali, sed gradu perfectionis à reliquis differat. 2. Quod quò metallum propius accedit ad aurum, eò sit perfectius & praestantius. 3. Quod metalla impuriora possint transmutari in puriora.

*VII.* Ceterum obiectio prima pueriliter admodum petit principium. De eo enim quaritur an metallum unum ab altero non formam essentiali differat, sed gradu tantummodo perfectionis. Sanè quodlibet metallum in suo genere est perfectum, quia perfectam habet essentiam. Hinc rectè Scaliger ad Cardanum: Unaquaeque species sibi pura & perfecta est, praesertim si ad genus referatur. Quare non licebat tibi per ista secare genus sic: Metallum aliud perfectum, aliud imperfectum: Quod enim imperfectum est, in nulla specie vel reponitur vel existit. Cuiusque enim rei essentia est indivisibilis. Essentia vero sola perfectio est, exerc. 106. sect. 2. Secunda in eo merito rejicitur quod cum priore unum metallum altero perfectius sine omni ratione pronunciet. Praestantius unum altero esse suo modo concedere possumus. Sed unde illa praestantia? nonne à praestantia forma? Si autem à praestantia forma, non possunt omnia metalla formam convenire. Est igitur, formam auri praestantior em esse formam ferri. Quid inde? Ergone formam conveniunt aurum & ferrum? Si conveniunt, convenient & homo & leo formam specificam, quia forma hominis praestantior est formam leonis. Deinde quomodo unum metallum ad alterum propius altero accedat nondum video, quia non minus plumbi, quam ferri materia inepta est ad formam auri recipiendam: utraque enim poten-



potentiam vel habilitatē ad auri formam recipiendam habet nul-  
lam. Tertia & postrema ratio probat dari metallorum transmuta-  
tionem, quod quam verum sit, in theor. s. videbimus.

### Theorema III.

Metalla anima vegetante non sunt præ-  
dita.

Reperiuntur qui cum Cardano metallis vitam tribuunt,  
quorum sententia quia satis superq̄ ab acutissimo Scaligero  
refutata & explosa est exer. 101. nos saltem contrariam  
muniemus. Quod ergo metalla non vivant probamus. 1. Quia  
neq̄ sunt planta, neq̄ animalia. Omne autem vivens vel  
est planta, vel animal, cum plures anima non dentur quam tres,  
vegetans scilicet plantis propria; sentiens brutis propria: & ratio-  
nalis homini propria. 2. Quia nullas edunt actiones vitales: Non  
enim generant sibi simile. Nunquam aurum generat aurum: neq̄  
lapis lapidem.

### Theorema IV.

Metallorum species vulgò numerantur  
septem: Aurum, argentum, æs, ferrum, stan-  
num, plumbum, & argentum vivum.

I. Quas tamen septem metallorum species à septem Planetis  
dependere, nuda sunt, ut testis est Scaliger exer: 106. sect. 1. Aurum  
est metallum purissimum ex majore humoris, quam terra portione  
concretum, flavi coloris.

II. Argentum est metallum ex humore minus excelsa, &  
minusq̄ puro genitum, candidi coloris.

III. Æs est metallum terrenâ materiâ magis, quam aquâ  
constans, rubri vel flavi coloris.

Ferrum



IV. Ferrum est metallum durissimum ex plurimo humido terreo, perexiguo vero aqueo concretum, coloris fuscii.

V. Stannum est metallum frigidiore constans humore, nec satis decocto, albi coloris.

VI. Plumbum est metallum ex humore crasso & male decocto concretum, lividi coloris.

VII. Argentum vivum est metallum ex aquoso & glutinoso humore cum subtili ac pura terra permixto genitum, albi coloris. Scaliger ita definit: Argentum vivum nihil aliud est, quam aqua terrea, aut terra aquea, non sine multo aëre, excr. 105. sect. 2.

### Theorema V.

Verum aurum ex metallis ignobilioribus arte effici nequit.

- I. Quamlibet metalli speciem in sua essentia perfectam esse superius diximus: Ideoq; naturam agentem in materiam metallarem, non semper intendere generationem auri statuimus, multo vero minus artem in aurum reliquas metalli species transmutare posse, asserimus. Quia impossibile est, in perfecte mixtis corporibus essentialem dari specierum sub uno & eodem genere proximo contentarum permutationem. Quemadmodum ergo ex homine non potest fieri leo, quod sint diversa species sub uno genere, animalis scilicet: Sic neq; ex ferro fieri potest aurum, quod diversa sint species metalli. 2. Quia ars non potest formam substantialem producere: Hoc enim solius naturæ & DEI opus est. Ars autem rebus productis tantummodo accidentalem importat formam. 3. Quia metallum unum ab altero non differt accidentaliter, sed essentialiter, ut supra theor. 2. sect. 6. demonstratum est, ideoq; unum in alterum arte transmutari nequit.
- II. Hic vero ab auri factoribus obijciuntur. 1. Quod ars naturam



ram imitetur, & in multis etiam superet. 2. Quod ars non novam substantiam producat, sed veterem saltem perficiat, cum ferrum nihil aliud sit quam aurum imperfectum, ab arte vero ita perficiatur, ut aurum perfectum fiat. 3. Quod ipsa natura etiam in omnem agens materiam metallarem intendat productionem auri. 4. Quod revera aurum à Chymicis sit factum.

III. Ceterum rationes hasce quod attinet, respondemus ad earum primam, artem natura quidem esse æmulam, sed tamen non ea præstare posse quæ superant naturam, est siquidem ejus famula. Et in productione substantiæ alicujus ars tantummodo est causa instrumentalis, natura vero principalis, ideoq; ubi nature operatio non præcedit, nihil efficit ars. Ad secundam, nondum probatum esse, ferrum esse aurum imperfectum. Certè cum omnes species ejusdem generis perfectæ sint, non potest ferrum metallum esse imperfectum. Et si ferrum aurum dici potest imperfectum, ferrum & aurum tantum accidentibus different, non vero specie: quia perfectum & imperfectum non variant speciem, quod tamen absurdum est. Tam sunt alia metalla à natura instituta, ut ex ijs aurum fiat, quam cæteræ animantes, ut ex ijs fiat homo. Scalig. exer. 106. sect. 2. Ad tertiam, naturam minimè semper intendere generationem auri, cum quamlibet speciem metalli propter certum aliquem finem & usum producat. Si ferro carendum sit nobis, haud sane benè ut opinor agatur nobiscum, Quia hoc ad hominis usum moliri piam parentem Naturam potius quam aurum qui negarit, in avaris, non in sapientibus huic liceat nomen suum profiteri. Scal. ibid. Deinde absolum plane est, naturam quoties generat ferrum vel aliud metallum inferius, toties frustrari sine suo, & aberrare à generatione auri, cum rarò & in paucissimis erret. Ad quartam, falsum & fucatum aurum à Chymicis fieri concedimus quidem: verum autem ab ipsis productum esse, vix nobis quisquam persua-

B



persuadebit. Refert quidem Cardanus, à quodam Tarvisino aurum factum, atq; Veneto senatui ostentatum. Sed ipsi quid respondeat Scaliger, videri potest exerc. 106. sect. 1. Et tantum de metallis, sequuntur lapides.

### Theorema VI.

Lapis est corpus fossile ex halitu sicco, cum humido quodammodo permixto generatum, quod malleo diduci nequit.

I. Causam efficientem lapides cum metallis habent communem, calorem videlicet subterraneum & frigus. Materiam habent humorem siccum & terreum cum unctuositate quadam aquosa permixtum, sponte lapidifcentem.

II. Dividuntur autem lapides in viles & pretiosos. Viles in porosos & solidos. Porosi sunt tophus & pumex. Solidi: saxum, silex, smiris, cos, Pyrites &c. Lapidis pretiosi dividuntur in nobiliores & ignobiliores. Nobiliores sunt gemma, ut Adamas, Smaragdus, Saphyrus, Carbunculus, Amethystus, Hyacinthus, Jaspis, Turcois, Achates, Onyx, Sardonyx, Chrysoprasus, Topazius. Ignobiliores sunt: Chrystallus, Corallus, Hamatites, Galactites, Aëtites, Magnes &c. quorum omnium definitiones angustiâ chartæ exclusi proponere nequimus: è vulgaribus ea Physicis peti possunt libellis.

### Theorema VII.

Terra pretiosa & succus concretus sunt corpora fossilia minore constantia humore & siccitate, quam ut vel metalla vel lapides fieri possint.

Neq;



Neg. metalli igitur, neg. lapidis naturam obtinent. Differt autem terra pretiosa à succo, quod hic liquari: illa non liquari possit. Terra pretiosa sunt: creta, cinnabaris, ochra, terra Lemnia, terra Samia, lutum Armenum &c. Succu concreti sunt: sal, sulphur, nitrum, bitumen, alumen, vitriolum, cerussa.

### Theorema IIX.

Planta est corpus perfectè mixtum, anima vegetante tantùm præditum.

I. Nunc tandem terra cavitates egredi nobis, ac supra eandem expatiari liceat, ubi primum planta conspicienda veniunt, de quarum natura haud levis est inter Physicos lis & controversia. Sunt enim, qui anima sentiente plantas præditas statuunt. Sunt quæ non quidem animam sentientem, sed aliam quandam peculiarem ac incognitam nobis, vegetanti superaddunt. Reperiuntur, qui omni planè, ac ne vegetante quidem excepta plantas spoliant: Saniorum deniq; qui tuentur sententiam, animam vegetantem, formam plantæ ultimam & specificam agnoscunt, quam & nos sententiam cæteris rejectis, amplectimur.

II. Initio enim quod planta anima sentiente non sint prædita patet. I. Quia carent sensibus: Neg. enim visus sensu, neg. tactus, neg. auditus, &c. prædita sunt: Quodcumq; autem animam habet sentientem, sensu præditum est. 2. Quia non sunt animalia: Quicquid autem sentit, est animal, quia sentire est proprium animalis. Quam vero venuste Scaliger occurrat Cardano, odiū ac amorē plantarū obijcienti, apud ipsum legipotes, exerc. 138.

III. Deinde plantam ut plantam, aliam habere formam præter vegetantem negamus: habere vero ut hanc vel illam concedimus. E. g. rutā præter animam vegetantem, adhuc habet aliam specificam, qua differt à brassica: non secus ac leo præter animam sentientem habet aliam, quæ differt ab equo. Nam forma generis uli-



ris ultima, non est forma speciei ultima. Licet autem leo, ut species, aliam habeat formam præter sentientem: tamen brutum ut genus: non habet aliam: Sic licet rutz aliam habeat formam præter vegetantem, tamen planta non habet aliam. A specie enim ad genus non valet illatio. Sed insurgit Timplexus adversus nos hunc in modum: 1. Omnis forma specifica reciprocatur cum suo formato. Anima autem vegetans non reciprocatur cum planta 2. Forma specifica est causa, per quam formatum est id, quod est. Sed anima vegetans non est causa per quam planta est planta 3. Forma specifica non competit alijs à suo formato essentialiter distinctis. At anima vegetans competit etiam animalibus. lib. 5. Physic. c. 1. q. 3. par. 3.

IV. Verum respondemus ad argumentum Timplexi primum, minorem esse falsam. Nam anima vegetans omnino cum planta reciprocatur: Planta enim est, quæ anima vegetante tantum est prædita. Et quicquid anima vegetante tantum est præditum, planta est. Ad secundum, minorem indigere satis robustâ probatione, quam dum Timplexus non dedit, nostram sententiam minime infringit. Si enim anima vegetans non est id, per quod planta est planta, quid ergo aliud erit? Ad tertium, formam specificam unius rei non competere alijs, ut specificam, sed ut subordinatam. Licet ergo anima vegetans etiam animalibus competat, bruto videlicet & homini: non tamen forma est specifica sive ultima vel bruti, vel hominis. Possunt enim unius rei plures esse formæ, subordinatæ scilicet, licet unica tantum ultima & specifica.

V. Quod denique planta non omni animâ desituta sit, ex ejus operationibus videre est; vivit enim, crescit, alitur, augetur generat sive fructificat, quæ non nisi ab anima proficisci possunt.

COROLLARIA.

1. An aurum possit reddi potabile? N.
2. An lapides inter se formis specificis distinguantur? A.
3. An lapides pretiosi vim habeant in animam hominis agendis? N.
4. An Physici tantum sic agere de Plantis? N.
5. An ulla herba sua natura sit mala? N.




















306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. C7

Patch Reference numbers on UTT